DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYDROTHORACE.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
HYDROTHORACE;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES CRAWFORD,

Coilanus,

CHIRURGUS,

SOCIET. REG. PHYSICAE EDINENSIS SOC. EXTRAORD.

ETIAMQUE

PRAESES ANNUUS.

Ubi aquam emiseris, sitis corripit, et tussis; et moritur. HIPP. de Morbis, ii. LIX.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1819.

AVUNCULO CARISSIMO,

ET VIRO OPTIMO,

GULIELMO DUNLOP, ARMIGERO,

DE FAIRFIELD, IN AGRO COILANO,

PACIS CIVILIS CUSTODI, ETC.

HASCE SUORUM STUDIORUM PRIMITIAS

SUMMA VENERANTIA

ET

AMORE

INSCRIBIT

JOANNES CRAWFORD.

VIRO SPECTATISSIMO,

GEORGIO ST^{H} HARDING, Armigero,

DE INSULA SANCTAE CRUCIS,

SORORIS SUAE MARITO,

HOCCE OPUSCULUM,

SUMMAE OBSERVANTIAE AC HONORIS

LEVE SED SINCERUM TESTIMONIUM,

OFFERT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYDROTHORACE.

Inter varios morbos quibus corpus humanum est proclive, vitia thoracis attentionem medici imprimis vindicant; nec hoc mirandum est, quum in memoriam revocamus in hac cavitate, illa organa sita esse, ex quibus vita proxime pendet. In pulmonibus sanguis per ramulos extremos arteriae pulmonalis delatus, actioni atmosphaerae subjicitur, et principium ejus reficiens adipiscitur: et cum ob aliquem morbum vel vitium organicum horum organorum huic processui obstatur, totum systema ex fundamentis ruit et cito perit. Porro, sanguis in pul-

monibus purgatus ad cor defertur, ex quo per totum corpus ad idem nutriendum distribuitur: et corde alternatim contracto et dilatato, duo magna flumina sanguinis, arteriosum et venosum, ut decet, propelluntur.

Cum igitur partes intra thoracem sitae, valetudini generali tam insigniter inserviunt, morbi earundem e rata parte sunt lethales. Quam minimum nimirum ulcus pulmonum totum corpus tabescit? et quam certe lethales sunt varii affectus organici cordis, satis superque constat. Sed ex omnibus morbis, quibus thorax est obnoxius, nullus per decursum suum, quam illae fluidae aquosae, quae intra thoracem colliguntur, plus doloris affert, vel auxilium medici magis implorat. Illae species diversas hydropis pectoris, vel, ut nunc saepius nominatur, Hydrothoracis, constituunt. In paginis sequentibus quaedam de natura et ratione medendi a nobis sanationem conantibus instituenda, proferre in animo est.

Fluidum effusum in hydatibus, quae diversa loca occupant, in nonnullis exemplis contine-

tur. Aliquando in cavitate thoracis solutae nantes, sed frequentius ad superficiem internam pleurae conjunctae deteguntur. Plerumque tamen latex in uno ex tribus diversis locis situs reperitur; vel in uno vel utroque sacco pleurae; vel intra pericardium; aut per substantiam cellulosam pulmonum diffusus observatur: et prout alium vel alterum horum occupat, symptomata nonnihil peculiaria conspiciuntur. In paginis sequentibus de illa forma morbi magis solita, in qua aqua intra saccos pleurae, et in utroque latere thoracis effunditur, praecipue loqui consilium est: et cum verbum Hydrothoracem usurpo, hoc, illi formae morbi tantum proprium intelligo. Signa peculiaria quae aquam in pericardio, et in substantia cellulari pulmonum adesse denotant, quoque memorabo; illi nomen Hydrops Pulmonum, huic Hydrops Pericardii plerumque imponitur.

Hydrothorax est morbus quibus homines provecta aetate imprimis obnoxii esse videntur, adeo ut cum juniores adoritur, alicui causae validae, cum structura prava, vel alio vitio intra

thoracem conjuncta, plerumque tribuendus est. Mares quam foeminae ei procliviores esse dicuntur; sed hoc, non ex illis modo peculiari morbo obnoxiis oritur; sed quia causae ejus excitanti ob mores et negotia sua magis subjiciuntur. Difficile quidem esset rationem aliter reddere, quoniam compaginem mollem et vitam sedentariam plerumque foeminarum, has accessioni ejus propensiores efficere, aequum videretur concludere. Homines corpore brevi et plethorico praeditos, et constitutiones quorum epulis lautis et ignavia fuerunt confectae, morbus imprimis corripere videretur.

Morbo ineunte, adsunt sensus ponderis molestus, et stricturae imi sterni, quasi chordae circum eam partem thoracis, arcte ligatae; nonnihil respirationis difficilis, quod ullo nixu insolito, vel decubitu ut inter cubandum existente, multum augetur. Somnus somniis horrificis, quae aegrum assurgere cogit, interrumpitur; et rebus sic existentibus, cor valde micat, et dyspnoea aucta comitatur. Plus minusve tussis, quae ad initium fere sicca est, sed quam expec-

toratio muci tenuis postea comitatur, simul adest. Attentione nunc ad pulsum adhibita, hic aliquid irregularis et intermittens, vi et frequentia ob causam levissimam varians, deprehenditur. In pluribus exemplis haec symptomata tempestate hiemali primum observantur, et ut ex catarrho simplice orientia saepe habentur. Tarde tamen, sed perpetuo augescentia pergunt, adeo insidiose ut aegro vel amicis suis parum sunt terrori. Sed tempore progrediente, natura morbi periculosa manifestior evadit; vultus fit pallidus, anxietatem exhibens; respiratio multo magis laboriosa; excitationes e somno frequentiores, et tussis in multis exemplis vehementissima, cum doloribus lancinantibus, acutis, in diversis partibus thoracis, et saepe expectoratione fluidi mucilaginosi, haud raro sanguine tincta. Extremitates inferiores oedemate simul tentantur, quod vesperem versus multum augetur, sed tempore matutino nonnihil imminuitur; et simul cum hoc sitis quoque fortasse est vehemens, urinaque multo minus copiosior et ruberrima fit, sedimentum lateritium

cum frigefacta deponens. Nunc dyspnoea adeo ingravescit, ut aeger haud potest recumbere, et inter dormiendum pulvinis opus est quibus fulceatur. Expectoratio in hoc stadio fere est sanguinolenta: facies et extremitates frigescunt; pulsus fit debilis et valde intermittens; labia livida et tumida. Vultus evadit foedus, et aspectum peculiariter horrificum induit: somnolentia, coma, deliriumque accedunt, et mors scenam lugubrem cito claudit. Praeter signa supra dicta, alia sunt quae etsi minus frequentia, ut prominentia costarum in altero vel utroque latere thoracis, torpor vel conditio paralytica unius vel amborum brachiorum, vel dolores ex humeris ad digitos tendentes, in quibusdam exemplis nihilominus morbi adesse, reperiuntur; epigastrium quoque plenum et tumidum est; actiones vehementes, convulsivae diaphragmatis, aliorumque musculorum respirationis, gravem dyspnoeam cum sensu suffocationis imminentis, inducentes, quoque adsunt. Progressus et duratio hujus morbi maxime sunt diversa: in quibusdam exemplis in paucis hebdomadis, in aliis

tot mensibus lethalis fit, et interdum per annos protrahi potest. Hoc discrimen ex aetate et constitutione aegri, quoque ex causa morbum inducente, pendere videtur.

Hydrothoracem in duas species, *idiopathicam et symptomaticam*, dividere vellem. Illa ad conditionem relaxatam solidorum et fluida per corpus dilata igitur tenuia et vitiata tribuenda est: vel, in aliis verbis, illa est quae ex diathesi hydropica in systemate existente originem ducit. Morbus, rebus sic se habentibus, plerumque cursum suum tarde persolvit. Contra, cum morbus pneumoniae, vel vitio organico cordis, vel dilatationibus aneurismaticis truncorum magnorum arteriarum, vel fabricae vitiatae cordis vel pulmonum, supervenit, eundem symptomaticum nominarem. Morbus, his rebus existentibus, cursum celeriter perficit.

DIAGNOSIS.

Morbi quibuscum hydrothorax confundi potest sunt, 1*mo*, Empyema; 2*do*, Asthma; 3*tio*, Palpitatio cordis; 4*to*, Aneurisma intra thoracem; 5*to*, Vitia organica cordis.

Ex empyemate, hectica absente, et signis antecedentibus quae empyema plerumque praegrediuntur, dignosci potest. 2*do*, Ex asthmate, quia in paroxysmis non accidit, et illa respiratione stridula absente, quae asthmate adest, distinguitur. 3*tio*, Hydrothorax pro palpitatione simplice cordis non proclivis est haberi; nam hoc signum, debilitatem utcunque inductam tam perpetuo plus minusve sequitur, ut summae esset temeritatis, si medicus id hydrothoracis symptomaticum, sine aliis signis hujus morbi praesentibus, existimaret. 4*to*, Ex aneurismate intra thoracem, absentia sensus perpetui palpitationis quae illum comitatur, dignosci potest.

5to, Hydrothoracem ex vitiis organicis cordis distinguere saepe erit difficile, et ad diagnosin statuendum attentio sedula omnibus signis diversis tribuenda est. Conditio pulsus, dyspnoeae, urinae et sitis, oedematis crurum et somni ab aegro capti, nos multum adjuvabit. In hydrothorace fluctuationem fluidi per parietes thoracis percipi posse dicitur. De quo tamen multum haerere propensus sum. Aegrum aliquando humorem intra thoracem fluctuantem audivisse, haud negari potest. Experimentum, detegendi annon fluidum adsit, percutiendo parietes thoracis cum digitis, praesertim si aeger corpore est tenui, cum eventu optando institui potest. Hanc inter medicos Gallicos consuetudinem esse credo.

PROGNOSIS.

Inter prognosin de eventu verisimili hujus morbi instituendam, tres res imprimis attentio-

nem sibi vindicant: Causa, nimirum, quae originem praebuit morbo; spatium temporis per quod morbus jam perstiterit; aetas, habitusque aegri. 1*mo*, Si morbus ex quodam alio morbo thoracis pendet, parum spei curationem efficiendi nobis restat. 2*do*, Periculum ni morbus in mortem desinat, rationem directam, caeteris paribus, ad diurnitatem ejus habere dici potest. 3*tio*, Si aeger sit juvenis, et morbus nec diu perstiterit, nec, ut videretur, ex aliquo vitio viscerum thoracis ortum duxerit, prognosis potius erit fausta. Nam in juventute vasa absorbentia vigent, et medicamentis idoneis adjuta, fluidum effusum tollendi vi satis polleant. Sed in senectute, corpore aliis morbis perstantibus, vel fortasse fatigationibus vitae laboriosae detrito et confecto, minime licet nobis spem curationis fovere.

Quaedam signa, siquando occurrunt, prognosin semper infaustissimam reddunt. Hujusmodi sunt palpitationes cordis ad initium accedentes, et perstantes; dyspnoea vehemens conatu facto recumbere, vel aliquem nixum insolitum

perficere, suffocationem minitans; dolor ad regionem cordis gravis; morbus pneumoniae subito superveniens; vel constitutiones intemperantia vel malo antea confectas, adoriens. Contraria his, morbum minus periculosum esse denotant.

CAUSA PROXIMA.

In singulis interstitiis et cavitatibus corporis fluidum aquosum tenue perpetuo deponi, quod usui partes lubricandi, et motus corporis faciles reddendi, plerumque inservit, physiologis bene cognitum est. Hoc ex genere vasorum, quibus anatomici nomen exhalantia imposuerunt, emittitur. Sed ne nimium hujus fluidi accumuletur, aliud genus vasorum, quae absorbentia nominantur, partes ejus superfluas officio tollendi perpetuo fungitur. Nunc, siquando vis vasorum exhalantium, illam absorbentium superat, vel si, fluido exhalato haud aucto, absorptio mi-

nuatur, hunc humorem congeri oportet: et iterum, absorptione deficiente dum exhalatio augetur, idem eveniet. Adeo ut aliquae ex formis hydropis, inter quas est hydrothorax, vel exhalationes auctae, vel absorptioni minutae, vel utrique, proxime referri possunt.

Exhalatio aucta, tunicis vasorum exhalantium *relaxatio*, quo fluida retinere nequeunt, vel sanguini *tenui et aquoso* tribuenda est.

Relaxatio praeter naturam vel generalis sit, nimirum, totum genus exhalans afficiens; quo facto, actio totius generis arteriosi languida et debilitata necessario comitatur: vel haec relaxatio, exhalantia partium intra thoracem sitarum, ob inflammationem priorem istarum partium afficiat. In exemplo posteriore actionem totius generis arteriosi non opus est imminui. Hinc, cum aegri sunt robusti, et morbus aliquamdiu post inflammationem pneumonicam visam supervenerit, illum a debilitate exhalantium intra thoracem sitorum, inflammatione priore inducta, ortum esse: eundemque actione valida naturali generis arteriosi multum auctum esse opi-

nor. Nam sanguis impetu suo solito in vasa exhalantia vel capillaria debilitata delatus, distentionem perpetuam tunicarum eorum efficiet, et effusionem multum augere pollebit. Hoc imprimis fiet, cum homines sic affecti, alicui causae vim circuitus augere valenti, ut fatigationi et calori magnis, inebrietati frequenti et similibus, objiciuntur. His rebus existentibus, sanguinis missio, si unquam in hoc morbo prodest, imprimis fortasse utilis est.

CAUSA REMOTA.

Quaecunque illam conditionem systematis relaxatam, de qua jam mentionem feci, inferunt; ut sanguinis profluvia profusa vel ab exitu naturali vel arte facta; febres diuturnae vel intermittentes, vel continuae; haustus copiosi liquidorum frigidorum, corpore calefacto; purgantia immodica; fluxus salivae copiosus, praesertim in constitutionibus debilitatis; domicilia hu-

milia et humida, cum victu tenui et aquoso conjuncta; concoctio prava et assimilatio sibi imperfecta; liquores spirituosi diu sumpti, cum aliis variis causis, morbum gignere possunt.

Plures harum causarum systema generale afficiunt. Aliae sunt quae partes intra thoracem sitas, ut polypi in vasis sanguineis majoribus vel corde, aneurisma intra thoracem truncum magnorum vasorum premens, ossificationes cordis et valvularum ejus, dilatationes hujus organi et vasorum ejus, quo circuitui obstatur, et congestio perpetua in vasis pulmonum servatur; paralysis lymphaticorum pulmonum, ruptura ductus thoracici, pneumoniae accessiones frequentes, quae imperite tractatae, vel neglectae fuerint, impetus frequentes asthmatis vel catarrhi, aut febres acutae, congestione intra thoracem finitae, praecipue adoriuntur.

Frigus corpori calefacto admotum, morbum, modo sequenti, fortasse inducit.

Ut rationem hujus redderem, expirationibus singulis magnam copiam halitus aquosi emitti,

qui ab exhalantibus bronchiorum suppeditari existimatur, observare liceat.

Hic vapor, consilio bronchia humectandi, non omnino inservit, sed inter processus esse videtur, quibus ad detrahendas partes aquosas et superfluas sanguinis natura utitur. Porro, inter pulmones et pleuram, exhalatio similis, quamvis minus copiosa, ac in aliis cavitatibus, pergit, quae motus thoracis inter respirationem promovere videtur. Igitur, si corpus, post nixum aliquem diuturnum, sed vehementem, subito frigefactum, constrictio eorum exhalantium in bronchia intrantium statim inducitur, et haec aëre frigido in pulmones inspirato servatur. Huic constrictioni exhalatio ex bronchiis imminuta accedit, et illa pars ejus suppressa congestionem et distentionem in vasis efficit, et per exhalantia in cavitatem thoracis aperientia aufertur.

Frigus corpori calefacto admotum, hydrothoracem quoque, perspirationem in partibus thoracis externis impediendo, inducere potest. Vasa enim, quae pleuram costalem nutriunt, et

plurimae ex illis quae in partes externas impenduntur, ramuli sunt ejus generis vasorum ; adeo ut, capillaribus vasorum externorum constrictis, congestio in illis pleurae statim inducetur. Exhalatio igitur naturalis hujus membranae multum augebitur, et fluidum exhalatum necesse congeretur. Sed frigus corpori sic se habenti admotum hydrothoracem semper vel etiam frequenter inducturum esse, sed tantum in illis exemplis, ubi diathesis hydropica systematis adest, vel in constitutionibus aliis morbis diuturnis, relaxatis vel confectis, minime intelligendum est.

RATIO MEDENDI.

Postquam plurimas causas remotas sublatas, tres sunt indicationes, praecipue ad curationem hujus morbi instituendam.

1*mo*, Fluidum effusum tollere; 2*do*, Symptomata levare; 3*tio*, Vigorem systematis restituere.

Indicatio prima vel quibusdam medicamentis exhibitis, ad absorptionem augendam, vel operatione paracentesi thoracis dicta, impleri potest. Medicamenta ad absorptionem promovendam exhibita, ad classes diureticorum et purgantium praecipue pertinent.

Prae omnibus diureticis, digitalis purpurea valet, et saepius in usum venit. Haec vel sub forma pulveris foliorum siccatorum, vel infusi, vel tincturae exhiberi potest. Pulvis effectus ejus tardius praebet, et igitur quam aliae duae praeparationes rarius praecipitur. Inter exhibendum, ad aetatem, habitum viresque aegri, et quoque tempus per quod morbus perstiterit, attendere oportet. Si aeger sit juvenis et morbus provectus, unciam unam infusi communis ter indies, primo licet exhibere. Hoc cum ℥ iii. aq. menth. piperit. et ex guttis triginta ad quadraginta spirit. aetheris nitros. commisceri potest. Aqua menthae piperitae saporem nauseantem digitalis vi pollet tollendi, et spiritus aetheris nitrosi effectus ejus diureticos, magnopere augere existimatur. Doses supra dictae

exemplis infaustissimis morbi tantum conveniunt. ℥ ii. infusi indies plerumque sufficiunt. Ex talibus dosibus urinam per spatium dierum decem ad quatuordecim, plerumque auctum iri, expectandum est. In hac re tamen res diversissime se habent; effectus ejus aliquando citius inducuntur, et spatio temporis multo longiore interdum opus est. Inter hanc exhibendam, attentio ad statum pulsus, alvi et quoque functionum cerebri, ab ea inductum, tribuenda est. Si pulsus fit debilis et abnormis, quinetiam si hebetudo visus, vertigo et dolor capitis, vel vomitus, aut diarrhoea, ex ea oriuntur, medicamentum statim est omittendum. Aliquando ventriculus adeo est irritabilis, ut medicamentum statim vomitu ejicitur. Ad hoc cavendum, guttae decem vel quindecim tinct. opii cum singulis dosibus conjungatur. Digitalis quoque sub forma tincturae in dosibus guttarum quindecim bis terve indies exhibeatur. Eandem, hac copia bis indies exhibitam, per cursum sex vel octo dierum, urinae profluvium copiosum cum pulsu tardo et symptomatis magnopere imminutis, in-

ducere conspexi. Pulvis foliorum siccatorum in dosibus unius grani bis terve indies sumi potest. Decoctum foliorum digitalis quoque interdum praeceptum fuit, sed medicamentum sub hac forma rarissime nunc exhibetur.

Ex aliis diureticis, quae, consilio hydrothoracem sanandi usurpari possunt, radix scillae maritimae proximum locum occupat. In forma pulveris, aceti, vel tincturae exhibeatur. Quia longo tempore opus est pulveri ad effectus ejus exhibendos, in illis exemplis solum ubi mora e rata parte, parum periculi inducit. Acetum et tinctura systema celeriter afficiunt, et illis exemplis igitur in quibus morbus provectus est bene conveniunt. Sed cum medicamentum sub his formis, consilio ut systema ab his celeriter afficiatur exhibemus, doses eodem tempore adeo sunt porrigendae, ut a vomitu caveatur; nam hoc inducto, effectibus futuris diureticis medicamenti multum obstabitur. Ut hoc quam maxime evitemus, guttas triginta ter indies ad initium exhibeamus, et haec dosis paulatim ad guttas quinquaginta vel usque ad aliquid nauseae

inductum, augeatur * ; et hoc consilio, donec effectus exoptatus inductus fuerit, quod spatio paucorum dierum saepe accidit, exhibeatur. Mistura ammoniaci et spirit. aether. nitros. operationem auxiliari videntur. Scilla sub forma pilularum scilliticarum nonnunquam quoque porrigitur, tribus vel quatuor indies simul cum quodam alio diuretico exhibitis. Hoc medicamentum illis exemplis hydrothoracis cum catarrho longo vel asthmate conjuncti, in quibus bronchia, plurimo muci viscidi, expectorationem difficillimam efficientis, implentur, maxime prodesse videtur.

Supertartras potassae ob vires ejus diureticas summis laudibus elatus fuit. Hoc consilio usurpatus, multum dilutus, ut in ratione unciae semisse ad libras duas aquae, quae per diem hauriri potest, sumi debet. Acetas quoque potassae in copia drachmae semisse in unciis duabus aquae solutus, et tertia quaque hora exhibitus, urinae profluvium copiosum saepe induxit.

---

* Blackall on Dropsy : Vid. Hydrothorax.

DE PURGANTIBUS.

Quamvis purgantia esse inter optimos modos absorptionem augendi, concedendum est, nihilominus, quasdam conditiones morbosas systematis existere, in quibus haec prorsus nocerent, constat. Hoc in illis morbis qui relaxationem universam systematis comitantur, vel qui ex eadem pendet, imprimis accidit. In hydrothorace igitur, morbo constitutiones confectas saepius adoriente, purgantia consilio absorptionem excitandi potius noxia sunt. In illis exemplis praecipue, quibus aegri constitutionibus validis sunt praediti, et morbo perstante parum exhaustis, his uti licet. Sed ad cathartica, ut absorptionem quam celerrime in stadiis morbi valde provectis, et systemate maxime debilitato, excitemus, confugere etiam cogimur. Rebus tamen sic se habentibus, inter intervalla suae operationis vina cum jusculis, et diaetam caeteram

maxime nutrientem ad vires corporis sustinendas, aegris concedere oportet. Purgantibus necessariis factis, acerrima, ut gambogia, colocynthis, scammonia, elaterium, usurpanda sunt. Haec per se vel cum alio cathartico valido, ut submuriate hydrarygyri conjuncta, sumenda sunt. Ex granis duobus ad quatuor illius, cum uno vel duobus hujus ter indies, porrigantur. Pulvis scammoniae compositus, vel mistura partium aequalium gambogiae et supertartratis potassae bene simul tritorum, in dosibus granorum decem, bis indies exhibeantur. Supertartras potassae pro cathartico in hydrothorace multum famae quoque adeptus est. Hoc consilio in dosibus quatuor vel sex drachmarum indies, dose postea aucta, exhibitus fuit. Constitutionibus robustis optime convenire dicitur.

Ad promovendam absorptionem fluidi effusi, quaedam ex praeparationibus hydrargyri, ut pilulae hydrarg. mane et vespere summo cum commodo usurpari possunt; vel submurias hydrargyri in copia unius vel duorum granorum indies sub forma pilularum sumatur. Hae

praeparationes hydrargyri, simul cum quibusdam ex diureticis, plerumque praecipiuntur. Sic submurias, simul cum digitali aut scilla maritima, vel cum radice scillae conjunctus, et in pilulas confectus, in usum veniat. Diuretica diversa raro per se sumuntur, sed duo vel plura eorum plerumque simul usurpantur. Sic digitalis et scilla eodem tempore exhibeantur; quo facto, scilla sub forma pilulae sumitur.

Indicatio secunda curatoria, de qua dictum fuit, erat signa levare.

De missione sanguinis pro remedio in hydrothorace. Quamvis venaesectionem inter remedia levantia retuli, tamen hanc tantum levamen praebere, minime volo intelligi; nam ut morbus ab hac sola interdum sanatus fuerit, non dubitandum est. In quibus affectibus, igitur, hoc remedium summa cum felicitate ut videretur institui oportet? Argumenta, huic faventia et obstantia, hic fuse exponere potuissem. Sed in haec, quippe quae nimiae forent disputationis, inire nequeo. Perpauca igitur de hac re breviter dicam. In

omnibus illis exemplis, quibus morbus constitutiones relaxatas adoritur, quamvis pulsus durus potiusque validus sit, sanguinem parcissime detrahendum esse, mihi videtur; nam quia nobis persuasum habemus, morbum ex laxitate solidorum et sanguinis conditione tenui, plerumque saltem pendere, detractio hujus igitur, cui illas augendi vis inest, morbum ex necesse reddet graviorem. Saepe tamen in hoc morbo, tussis, dyspnoea, et dolores thoracis aegro adeo sunt molesti, ut sanguinem mittere cogamur, idque etiam quamvis aegri maxime fuissent debilitati. Hic imprimis necessarium erit, si pulsus durus his symptomatis adsunt. Rebus tamen sic existentibus, missiones parcas esse oportet, vix uncias octo, vel decem excedentes; et summum periculum ex viribus aegri deficientibus oriturum, non obliviscendum est. Sed morbus homines validos et robustos nonnunquam invadit, et in quibus ob vires pulsus, exhalationem intra thoracem, actione valida arteriarum, multum auctam esse, aequum sit concludere. Affectus hujusmodi post haustus su-

bitus liquorum frigidorum corpore fatigatione multum calefacto, vel post corpus sic affectum, aëri subjectum et subito frigefactum, plerumque accedunt. Si rebus ita existentibus, aegri sint validi, et pulsus durus et fortis, sanguinis missio copiosa, maximis viribus ad morbum debellandum fortasse pollet. Simul cum hac, cathartica in his exemplis usurpanda sunt, et valde sunt utilia.

Consilio dolores thoracis levandi et somnum inducendi, ad vesicatoria et opiata oportet confugere. Illa et dolorem levant, et absorptionem internam augere habentur. Actionibus vehementibus et convulsivis diaphragmatis, aliorumque musculorum respirationi inservientium, tinctura opii in dose guttarum quinquaginta ad sexaginta cum pari copia aetheris sulphurici conjuncta, levamini est celerimo et efficacissimo.

Si post omnia remedia interne sumpta, morbus adhuc pergit, ad operationem paracentesin thoracis, quasi solum refugium relictum, decurrendum est. Sed hic quaeri potest, in quo la-

tere thoracis haec perficienda sit? Si fluidum in utroque latere thoracis congeritur, in quo latere paracentesis perficitur, haud multum refert. Sed fluidum unum latus solum haud raro occupat; et hoc facto, ut signum diagnosticum extiterit, quo hoc detegi posset, multum optandum est. Aqua in uno latere solo thoracis congesta, aegrum in eodem recumbentem facilius spiritum trahere, ni fallor, inter plerosque constat. Ratio hujus reddi potest existimando, aegro in altero latere jacente, aquam ob gravitatem ejus idem latus premere, et pulmonem illius lateris, quo respiratio nunc praecipue perficitur, compressum, et ne se libere expanderet, impeditum fore; respiratio igitur in hoc situ corporis multo erit difficilior. Alia res quoque, quae dyspnoeam in hoc situ augere valet, impedimentum est illi lateri thoracis, ob decubitum in eodem, ne expandetur. Si consilia nostra ex jam dictis sumenda sint, operationem in illo latere thoracis, quo aeger facilius recumbere potest, perficere opus erit. Exempla tamen, contraria indicantia, occurrerunt.

Modum, operationem perficiendi, quippe qui in omnibus libris de chirurgia inveniatur, haud describendum censeo.

Si fluidum effusum, vel per operationem, vel medicamenta, vel utraque, ex toto summovere nobis contingat, proxime conandum est tonum amissum systematis restituere; quod tertium consilium medendi propositum constituit.

Hoc consilio, ut aeger sumat exercitationem modicam, attentione adhibita ne haec nimia sit, adeo ut corpus fatigatione aut sudore corripiatur, praecipiendum est. In aëre puro ruris, si potest fieri, versari, et diaetam nutrientem, plenam, sumere debet. Medicamenta quoque tonica, ut praeparationes ferri, cinchonam, cum aliquibus acidis mineralibus dilutis conjunctam, vel aliqua ex amaris diversis, usurpare oportet.

Nihil de victu aegri, morbo perstante, dixi. Si sit habitus debilis, relaxati, diaeta nutriens, et imprimis illae substantiae, quae plurimum nutrimenti in minima mole continent, et flatum inducere minime sunt proclives, concedendae

sunt. Nam multo flatu inducto, ventriculus praeter naturam distenditur, et dyspnoeam magnopere auget. Si aeger sit plenus et plethoricus, regimen antiphlogisticum summa cura est admovendum.

Omnibus nunc dictis, quae in animo est tradere de illa forma Hydrothoracis in qua fluidum intra cavitatem thoracis late diffunditur; quaedam de his duabus affectibus, nimirum, Hydrope Pericardii, et Hydrope Pulmonum, nunc proferam.

DE HYDROPE PERICARDII.

Hoc malum ex inflammatione vel cordis vel pericardii saepe originem ducit; sed affusio in alias partes thoracis haud raro quoque adest. Quum hic effectus cum effusione generali in thoracem conjungitur, num hunc adesse constat necne, saltem quatenus ad curationem morbi pertinet, quia eadem ratio prorsus insti-

tuenda est, fortasse parum est momenti. Sed cum sola existit, quaedam signa diagnostica, quae hunc affectum adesse monstrant, magnopere referunt. Symptomata sequentia huic diagnosi, plerumque, ut spero, sufficient.

In hydrope pericardii, respiratio, quomodocunque res et corpus se habeant, minus affecta, et potius accelerata et anxia, quam tarda et laboriosa. Decubitus, quam in hydrothorace magis generali facilior, nisi in ipsis ultimis stadiis, quibus ob pericardii summam distentionem, pulmones multum comprimuntur. Dolor gravis in regione cordis situm erectum comitatur: et aegro in latere dextro recumbente, dyspnoea multum augetur, et sensus ponderis in latere sinistro thoracis percipitur.

In stadiis provectis hujus morbi syncope saepissime accedit; et ictus cordis in latus, corpore antrorsum flexo, vix, et contra, aegro supino, magis, percipi potest.

Quibusdam fiducia fuit praecipere, ut pericardium, consilio fluidum detrahendi, terebretur. Summum periculum huic operationi proculdu-

bio instat. Alia remedia, consilio hunc morbum tollendi usurpanda, eadem sunt ac illa de quibus antea dixi.

DE HYDROPE PULMONUM.

Hydrops pulmonum raro, si unquam, solus ut affectus idiopathicus existere detegitur; sed plerumque est sequela inflammationis pneumonicae; vel partem effusionis magis generalis intra thoracem constituit. In rarissimis exemplis, in quibus ut morbus primarius accedit, multum tumoris pedis et artuum dicitur adesse; pulsus tardus et plenus, respiratio plena et laboriosa, et dyspnoea gravis est, et subito invadit. Ex his signis dyspnoea gravis, et impetus subitus, maxime indubitata sunt.

Ratio medendi in hoc morbo, ac illa quam ob effusionem in aliis partibus thoracis praecepi, prorsus eadem est. Digitalem ad hunc af-

fectum sanandum nihilominus optime convenire, dictum fuit.

Naturam, symptomata, et rationem medendi illarum effusionum quae intra thoracem eveniunt, tradere conatus sum; et nunc tantum addam, dolori esse mihi, quod ob studia multiplicia, huic rei attentionem quam voluissem non penes me fuit tribuere.

FINIS.